



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

9. De cœmiterio S. Priscillæ virginis Romæ anno 1578. in Iulio inuento. De antiquiſſimis de eodem picturis, & altari, & bis mille ſepulturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

De cœmiterio S. Priscillæ virginis Romæ anno 1578.
in Iulio inuento, de antiquissimis in eodem pistrinis
& altari, & bis mille sepulchris. Excusum habetur
ad calcem libelli, Piorum & deuotorum exci-
tiorum Colon. apud Ludovic. Alector. An-
no 1579.

CAP. IX.

Superioribus diebus extra portam Salu-
dam, secundo ab vrbe lapide: in vinea cuius-
dam Hispani, inter effodiendum sub nigram
arenam (quam Puteolanam vocant) in vlti-
mæ ædificia exstruendi, quænit vt profundius effo-
diendo, magna omnium admiratione, via qua-
dam subterranea inueniretur atque aperire-
tur, compertisque ibidem Christianæ religio-
nis signis, eò personæ religiosæ, Cardinales,
Prælati, & cuiuscumque conditionis viri con-
currere cœpere omnes, tam vetustatis studio-
si, quàm alij, vno ore dicentes, illud esse co-
mitemerium B. Priscillæ virginis, iam inde ab in-
cursionibus Gothorum occultum, in quo as-
te receptam publicè Christianam fidem, san-
ctissima scœmina, (vt potè illius agri ac loci do-
mina) & alij pij viri sanctorum corpora, præ-
cipuè martyrum, & aliorum Christi fidelium
defunctorum condebant, atque etiam Chri-
stiani illi Ethnicis magis suspecti & exosi lau-
tabant. Ibi præcipua via est satis lata & alta,
cuius parietibus vtrinque sunt excisæ sepu-
turæ, vna quidem supra aliam, tanquam

ca seu arcule quædam, ante quarum orifici-
um erant lapides cum inscriptionibus Latinis
& Græcis. Sed plerisque huiusmodi lapides
aut sunt sublati, aut excisi, aut confracti, sicut
etiam ossa sunt sublata. Sed nihilominus ad-
huc aliqua exstant, hætenus autem sunt in-
uentæ bis mille & eo amplius sepulturæ. Ex
ista præcipua via, tot aliæ viæ depressiores &
actiores, tot cuniculi deducuntur, vt subter-
rana quædam mortuorum ciuitas videatur,
instar tamen Labyrinthi viarum ambagibus
implicata, cuius circuitus ad vnum miliarium
existimatur, adeo vt non temerè quis se
committat perquisitioni loci, absque multis
funiculorum globulis ac tædis, atque ignea
no si fortè tædæ extinguerentur. Ibi in abdito
quodam recessu capella cum paruulo altari
reperitur. Ibidemq; crucifixi imago picta con-
spicitur cum imagine duorum sanctorum ab
vno latere, ab altero verò vnus matronæ, quæ
existimatur B. Priscilla esse. In pluribus autem
distictæ miterij locis est videre pictum pasto-
rem ouem in humeris gestantem, sæpius pari-
ter D. Ignarium inter duos leones, Abrahæ sa-
cificium, & mulierem spongiam in manibus
habentem, hanc credunt esse S. Paxedis ima-
ginem, eius corpus & pariter S. Potentianæ
eius sororis ibidem conditum fuisse sacræ te-
stantur historiæ. Exstant quoq; signa aliarum
imaginum, quæ præ nimia antiquitate cogno-

sci non possunt. Estque locus tanta venustate, religione, & sanctitate verendus, ut omnibus ingredientibus & benè perpendentibus terrorem quidem incutiatur, & lachrymæ excutiantur. Inde est conijcere persecutiones & arummas simul & pietatem sanctorum illorum virorum primitivæ Ecclesiæ: ibi, ad cōfirmationem nostræ indubitatae & certissimæ religionis Catholicæ ritumque Catholicorum, est videre religionem, curam & diligentiam illorum Dei amicorum circa humationem corporum. Ibi manifestissime ipsis oculis cernitur, quod Ethnicorum & Idololatrarum temporibus pij illi & sancti Dei amici, cum publicè in huius sacculi luce non possent, in antris saltem & cavernis terræ pias imagines pingebant, ac venerabantur. Nunc autem inter Christianos ipsos, ob nimiam cœcitatē huius temporis, non desunt, qui ipsas è sacris templis, abradere & deturbare temerario ausu præsumant. Sed quod attinet ad cœmiterium, iam portis clauditur, nec cuius ingressus datur. Suntque iussi illius vineæ Domini & alij sub certis pœnis, quod tam lapides quàm ossa inde ablata, Reverendissimo vrbi vicario consignare debeant. Inter cetera autem deliberatur, an exstruendum sit ibidem aliquod templum.

Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium. De Leone Armato Imperat. quibus imposturis inductum sit, ut pugnaret venerandas imagines.